

GEORGIVS MAIOR THEOLOGVS.



Georgius apud Saxones natus & educatus
Est. Is cum prima artium & linguarum funda-
mēta feliciter iecisset, in patria sese ad Academiam
Vuitebergensem contulit, & Lutherō p̄ceptore
usus, S. Theologiæ magna diligentia operam de-
dit. In ea quoq; adeò profecit, ut eius facultatis Do-
ctor creatus, doctissimis uiris compararetur. Itaq;
factum ut & Euangelicorum doctrinā defendere,
& aduersarijs resistere posset, idq; præsertim hinc
inde in Imperij comitijs. Cum etiā Ratisbone 1546
doctorum uirorum colloquium institueretur, hic
Georgius cum Bucero & Brentio constituit, quō
cōtra Maluendam, Billickium, & Hoffmeisterum
differeret. Scriptis Georgius, dum Vuiteberge sacras literas profiteretur, mul-
taa artes & Theologiæ studium pertinentia. utpote Tabulas Rhetorices, &
elegantiores parabolas. Veterum Poëtarum sententias, et in Iustini historiam
annotationes. Præterea de origine & authoritate uerbi Dei, & quæ pontifi-
cum, patrum, & Conciliorum sit autoritas. deinde Catalogum Docto-
rum Ecclesiæ, & Vitas Patrum, quibus lucubrationibus omnibus
doctis innotuit, & ingenij sui vires posteritati significa-
uit. Con. Gesl.